

fundamentum Scoti. Et instatur illud argumentum in ipsa sententia Vasquez, quia ipse fatetur ad generationem Verbi requiri quarto modo per se cognitionem ipsiusmet Verbi, et tamen non est imago sui: ergo non est imago omnis objecti ex cuius notitia procedit, sed tantum illius quod se habet ut principium fœcundans intellectum, et per modum rationis formalis exprimentis, non illius quod se habet ut contentum, aut connexum, vel requisitum ad tale principium; non tamen ex illo dicitur procedere, nec illud imitari imago quæ exprimitur. Quare Spiritus sanctus non dicitur esse objectum per se quarto modo requisitum ad generationem Verbi ut objectum motivum, vel ut ratio formalis cognoscendi, sed ut objectum terminativum per se annexum, et correlative se habens cum objecto motivo, seu cum eo quod per se quarto modo communicatur Verbo, scilicet cum spiratione activa. Et ideo non est Filius imago illius, quia non est principium cui directe assimilatur, et a quo exprimitur, est tamen per se quarto modo requisitum, quia per se connexum, et correlativum cum eo quod per se communicatur, scilicet cum vi spirativa. Imagines autem quæ ab hominibus depinguntur solum habent pro objecto motivo id ad cuius instar fiunt, et illius imagines per se dicuntur. Si autem aliquid aliud expriment ut per se illi objecto annexum, non dicuntur imagines illius.

XXVII. Ad secundam confirmationem respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod si per impossibile non esset Spiritus sanctus, aut Filio non communicaretur a Patre quod esset spirator, non maneret principium Filii secundum omnia quæ sibi debentur communicari, quia licet maneret natura divina communicabilis per intel-

lectum, non tamen plene communicabilis, si non communicaretur virtus ejus spirativa, sicut si non communicaretur Filio voluntas, aut non esset plena, et perfecta divina natura, si in se vim spirativam non haberet, sicut si voluntatem non haberet. Quod si, et voluntatem, et vim spirativam haberet, esset implicatio in adjectis dicere quod Spiritus sanctus esset impossibilis, si maneret virtus spirandi ipsum, aut quod cognosceretur vis spirativa, et ipsa spiratio activa, et non Spiritus sanctus, cum correlativa sint. Et ad instantiam, quod prius est esse Filium quam esse spiratorem, negamus: nam si Filius est perfecte similis, et consubstantialis Patri, implicat esse Filium, et non spiratorem, sicut repugnat esse Filium, et non habere naturam divinam, et attributa. Et cum dicitur quod non est terminus generationis ut spirator, sed ut filius, dicimus quod non est terminus productus, et genitus ut spirator, sed ut filius, tamen ut sit Filius debet esse spirator genitus, sicut debet esse Deus genitus, eo quod esse spiratorem licet non sit terminus productus, est tamen terminus communicatus, sicut deitas ipsa, et attributa: omnia enim quæ habet Pater præter esse Patrem communicat Filio per se, et in quarto modo ut perfecte sit similis sibi; habet autem inter alia esse spiratorem. Nec obstat quod Græci intelligunt Filium esse Filium, et non spiratorem: hoc enim falsum est, et non obstat, nec præjudicat nostræ sententiæ, quia Græci non solum dicunt quod Filius non est spirator in quarto modo per se, sed quod in re spirator non est, et sic debent cogi ut fateantur Filium non manere perfecte similem Patri, quia non omnia quæ Patris sunt participat. Sed sententia Vasquez cum in re admittat Filio communicari spiratio-

nem activam, ut fides docet, debet cogi fateri quod si in re communicatur, etiam in quarto modo per se communicatur, quia illa communicatio pertinet ad perfectam similitudinem Filii cum Patre: sicut si aliquis dicere non communicari immensitatem aut æternitatem Filio, non præjudicaret illa falsitas nostræ sententiæ, qua dicimus per se quarto modo communicari Filio, quia per se pertinet ad similitudinem perfectam Filii cum Patre in natura: sic est spiratio activa.

Dices: Pater prius intelligitur Pater, quam spirator, sicut prius intelligitur intelligens, quam volens, et prius origine generat, quam spirat: generat enim solus, spirat autem simul cum Filio: ergo etiam prius intelligitur Filius in esse filii, quam spirator cum Pater in ratione patris correlative intelligatur ad Filium.

Respondetur Patrem prius intelligi generare quam spirare, et nostro modo intelligendi prius intelligere quam velle, si sumatur ly velle elicitive, non tamen si sumatur objective, quia cum intelligit, habet pro objecto intellecto non solum essentiam et intelligentiam, sed etiam voluntatem et ipsum velle, et cum generat, licet nondum spirare elicitive, et exercite intelligatur, jam tamen habet vim spirativam, et ipsam communicat Filio, et consequenter cognoscit ipsam, et ipsam spirationem ut objectum, et ut aliquid per se communicabile Filio, et ibi includitur etiam eadem perseitate cognitio Spiritus, sancti ut termini talis spirationis.

XXVIII. Ultimo arguitur ad probandum creaturarum cognitionem per se non requiri ad generationem Verbi. Et urgeri possunt, tum ea quæ adduximus pro Spiritu sancto, quia alias esset imago creaturarum, et haberet illas pro principio, si per

earum notitia procederet; tum quia creaturæ futuræ non per se requiruntur ad generationem Verbi, sed solum concomitanter, quia sine illis posset æque bene generari Verbum per ea quæ habet ad intra: ergo similiter sine creaturis possibilibus, quia non minus sunt extra divinam naturam, quam creaturæ futuræ: tum quia etiam si aliqua creatura redderetur impossibilis, adhuc Verbum procederet intra Deum, alias si creaturæ non essent possibles, Verbum non procederet, quod est facere ejus processionem dependentem a possibilitate creaturarum, et cum possibilitas illa non sit Deus, quia creaturarum possibilitas est, dependeret processio Verbi ab aliquo extra: ergo si esset processio Verbi non stante possibilitate creaturarum, non influit cognitio earum in quarto modo per se. Tum denique, quia essentia divina secundum se, et secundum absolutam perfectionem considerata ita perfecta est, ut sine creaturis possibilibus æque divina, et perfecta maneat sicut modo: ergo æque fœcunda ad communicandum seipsam per generationem: ergo processio Verbi secundum suam formalem rationem independens est a creaturis possibilibus: et sic non requiritur earum cognitio in quarto modo per se.

Confirmatur ex D. Anselmo in monologio, c. xxix, ubi inquit, quod sive cogitetur Deus nulla alia existente creatura, sive aliis existentibus, necesse est Verbum coæternum illi esse cum illo. Item D. Thomas in quæstione iv de veritate, art. v, in fine corporis dicit, quod: « Principaliter, et quasi per se Verbum refertur ad Patrem, sed ex consequenti, et quasi per accidens refertur ad creaturam: accidit enim Verbo, ut per ipsum creatura dicatur. » Et solutione ad quintum inquit, quod: « Verbum ex respectu reali originis

quem importat, efficitur personale, ex quo ad creaturam habitudinem non habet. » Quomodo ergo nos dicimus per se in quarto modo procedere Verbum ex cognitione creaturarum, si dicit D. Thomas quod hoc accidit Verbo, et quod ex respectu reali originis habitudinem non habet ad creaturam, et tamen sola habitudo originis sufficit ad salvandam generationem Verbi: ergo non requirit per se in quarto modo habitudinem ad creaturas, et cognitionem earum, cum sine ipsa salvetur generatio Verbi.

XXIX. Respondetur ad primam probationem ex supra dictis, et ex D. Thoma in hac quæstione xxxiv, art. iii ad iii, et in quæstione iv de veritate, art. v ad ii, quod Verbum est creaturæ, sed non a creatura, quia cognitio qua Verbum procedit non sumitur a creaturis, sed ab essentia Dei, quæ est forma, qua intellectus divinus cognoscit, et consequenter cujus similitudinem exprimit Verbum tamquam principium a quo est, et ideo est ejus imago. Creaturas vero exprimit, non tamquam principium a quo est, sed tamquam objectum terminativum, ad quod potentia creativa se habet, et circa quod versatur. Unde ratione essentia divina, et omnipotentia quam accipit Verbum a Patre se habet ad creaturas, ut dicit S. Thomas loco citato quæst. xxxiv, in corpore articuli. Naturam autem divinam, et omnipotentiam accipit Verbum in quarto modo per se.

XXX. Ad secundam probationem negatur consequentia. Et est disparitas inter creaturas futuras, et posibles, quod creaturas esse futuras dependet a voluntate libera Dei: creaturas vero esse posibles antecedit omnem voluntatem, et actum liberum ejus, et præcise dependet ab ideis divinis, et omnipotentia executiva earum. Terminatio autem

libera Dei ad objectum cum possit abesse, et adesse, implicat quod per se requiratur ad generationem necessariam, et naturalem, qualis est generatio Verbi. Possibilitas autem creaturarum est omnino necessaria, et per se connexa cum ideis, et omnipotentia, nec potest ista perfecte cognosci sine illa, ut late tractavimus supra disputatione undecima.

XXXI. Ad tertiam probationem dicitur Verbi processionem non dependere a creaturarum possibilitate, sed a cognitione essentia reddente creaturas posibles per suas ideas, et per suam potentiam. Quod si essentia divina per ideas non redderet creaturam aliquam possibilem, sed remaneret impossibilis, non esset eadem essentia quæ nunc, quia non esset participabilis eo modo quo nunc; et sic non propter impossibilitatem creaturarum, sed propter imparticipabilitatem divinae essentia esset alia essentia, et consequenter alia Verbi generatio. Neque ex hoc infertur quod sit tam necessaria possibilitas creaturarum, sicut natura divina, aut quod hæc sit dependens a creaturis. Neutrum sequitur: nam non est ita necessaria possibilitas, quia possibilitatis necessitas est consecuta ex necessitate divinae essentia; et sic minor ipsa, sed tamen ita illi connexa, ut non possit tolli una, nisi tollatur alia, sicut veritas conclusionis est minus necessaria, quam veritas principiorum, et tamen si conclusio non posset sequi ex principiis, veritas principiorum deficeret. Nec est dependens necessitas Dei a creaturis, sed e contra, sed tamen ex Deo sine ulla dependentia a creaturis, sequitur de necessitate possibilitas creaturarum, imo etiam una Persona divina dimanat necessario ex alia, nec tamen dependet ab illa, sed hæc resultantia est per abundantiam divinae participabilitatis, et

infininitatis erga creaturas non per dependentiam, quæ tamen abundantia si in Deo non esset, plenus Deus non esset. Et quia per se exigitur ad generationem Verbi cognitio illius abundantia, per se etiam exigitur cognitio creaturarum quæ inde participantur.

XXXII. Ad quartam probationem distinguimus antecedens. Essentia divina est æque perfecta sine creaturis, et sine possibilitate earum sicut modo est, distinguo; sine creaturis ut consecutis a se, nego; ut constituentibus se, transeat. Nec enim exigitur ad constituendam divinam essentiam possibilitas creaturarum; requiritur tamen quod possibilitas creaturarum consequatur ex Deo, et ipsa essentia divina ut participabilis a creaturis est intrinsece pertinens ad perfectionem Dei. Unde non potest perfecte cognosci essentia, et potentia Dei, nisi cognoscatur ut participabilis a creaturis, nec ut participabilis attingi potest, non tactis creaturis ut termino talis participabilitatis. Sic ergo antecedenter ad creaturas invenitur in Deo omnis perfectio, et fecunditas ad generandum, sed consequenter requiritur creaturas tamquam terminum per se annexum illi perfectioni, qua Deus constituitur in se, eo quod illa perfectio quod Deus constituitur est superabundans, et participabilis a creaturis, nec ut talis potest intelligi sine creaturis ut consecutis a se, non ut constituentibus vel perficientibus se, sed a se perfectibilibus.

Ad confirmationem respondetur imprimis Anselmum in illo loco solum loqui de creatura existente, non de possibili, et ita non est ad rem. Secundo, tam ipse Anselmus quam D. Thomas solum intendunt creaturas non requiri per se, et in quarto modo tamquam ratio, et objectum primarium, et ut principium

ipsius Verbi, non tamen ut terminus connotatus, et consecutus de necessitate ad potentiam, et ideas, quæ communicantur Verbo in quarto modo per se, et sine creaturis ut consecutis, et connotatis non possunt cognosci, quia esse creatorem, et factivum creaturarum, quomodo stat sine attingentia illarum? Tertio D. Thomas non dicit Verbum non procedere per se ex cognitione creaturarum, et hoc accidere ipsi, sed dicit non referri per se ad creaturas, sed principaliter, et per se ad Patrem a quo originatur, ex consequenti vero, et secundario, et quasi per accidens ad creaturas, id est, per aliud, non per accidens, ut opponitur necessario, et per se, quod verissimum est, cum ad Patrem referatur relatione reali originis ut ad principium suum, ad creaturas relatione rationis, ut ad quid consecutum. Et cum dicit solutione ad quintum, quod Verbum ex relatione ad Patrem habitudinem non habet ad creaturas, hoc verum est quod ex illa habitudine non habet nisi originari, et esse Filium, sed quod se habeat ad creaturas non habet ex relatione ad Patrem, sed ex natura divina, et omnipotentia quæ sibi communicatur a Patre, ut dicit S. Thomas in hac quæstione xxxiv, art. iii ad i, ex eo videlicet quod est genitus Deus, vel genitus creator: « Et per hunc modum, inquit, importatur relatio ad creaturam nomine Verbi. » Si per hunc modum: ergo quarto modo per se, quia esse Deum genitum, et creatorem genitum per se in quarto modo convenit Verbo. Et sic probatio nostra qua contra Vasquez probamus procedere Verbum per se in quarto modo ex cognitione creaturarum, quia ex cognitione creativae potentia D. Thomæ est.

XXXIII. De processione Spiritus sancti quod non procedat ex amore

libero creaturarum existentium, constat ex dictis, quia abesse potest ille amor, non autem processio Spiritus sancti, licet concomitanter ipse amor Spiritus sancti libere se habeat ad creaturas. Ex amore autem libero creaturarum possibilitium non procedit, quia talis amor non datur, ut supra circa quæstionem XIX late ostendimus. Si tamen liber ille amor esset non conducirer ad processionem Spiritus sancti, quia hæc omnino necessaria est; et ita amor creaturarum nunquam pertinet ad perfectionem amoris divini, nec nisi concomitanter in processione Spiritus sancti dari potest. Nec Scotus posuit processionem Spiritus sancti esse liberam, sumendo liberum pro contingente quod deesse potest, sed pro voluntario, seu non coacto, ut opponitur violento, non ut opponitur necessario. Cognitio autem creaturarum pertinet ad perfectionem divinæ cognitionis, qua se comprehendit, et qua per se quarto modo attingit potentiam creativam quam communicat Filio.

ARTICULUS III.

Utrum si Spiritus sanctus non procederet a Filio, distingueretur ab illo?

Duo in hoc articulo involvuntur. Alterum quod supponit; alterum quod inquirat. Supponit Spiritum sanctum procedere a Filio, inquirat an distingueretur ab illo, si ab eo non procederet. Illud primum licet supponatur de fide, tamen quia circa ipsum valde tenaciter a Græcis erratum est, operæ pretium videtur punctum erroris eorum aperire, et Ecclesiæ contra ipsos stabilire definitionem.

GRÆCORUM ERROR CIRCA PROCESSIONEM SPIRITUS SANCTI REJECTUS.

I. Post hæresim Macedonii, qui Spiritus sancti divinitatem aperte negavit, ut supra disp. XII, art. I, vidimus, exurrexit in Concilio Ephesino novus Græcorum error circa processionem Spiritus sancti, nam Theodoretus objecit D. Cyrillo in contradictione noni anathematis, quod Spiritus sanctus non procedit a Filio, quia id Scriptura non dicit, sed quod a Patre procedit, et eodem modo id ponitur in symbolo Concilii Nicæni primi, et Constantinopolitani. Ita habetur objectio Theodoretum in ipso Concilio Ephesino tomo II, cap. XXXI. Cui errori sic insurgenti primus restitit S. Cyrillus Alexandrinus in defensione ejusdem noni anathematis, et in epistola decima, et in libro primo de fide ad reginas, aliisque pluribus locis. Ut autem docet S. Thomas in hac quæstione XXXVI, a. II ad III, fuit primus expressus hic error a Nestorio, et Nestorianis in quodam symbolo ab ipsis introducto, a Synodo Ephesina damnato, unde sumpsit Theodoretus. Sed tamen Theodoretus abdicato a Nestorianis studio, eorum quoque errorem condemnavit, vereque ab eis resipuit, ut ex pluribus ejus epistolis docte colligit cardinalis Baronius anno Christi 436, n. XI. Sed et omnia Theodoretum scripta contra S. Cyrillum in quinta Synodo generali sanctorum patrum sententia condemnata sunt in collatione prima, ubi vocantur impia scripta Theodoretum, quæ contra rectam fidem, et Ephesinam primam sanctam Synodum, et contra sanctæ memoriæ Cyrillum, et ejus duodecim capitula exposuit. Et tamen in fine collationis quintæ, addit sancta Synodus non ante fuisse Theodoretum a Chalce-

donensi Concilio susceptum, nisi prius anathematizasset Nestorium. Quare cum a Nestorii symbolo illum errorem hauserit Theodoretus, et ipsum in contradictione noni anathematis contra Cyrillum defenderit, cum omnia hæc damnata ab ipso referantur in quinta Synodo generali, ejusque scripta contradicentia Cyrilli anathematismis fuerint condemnata, videtur in ipso ex orientis hujus erroris initio ipsum omnino fuisse sopitum aut repressum, etiam ab ipsis patribus Græcis.

II. Cæterum invenitur repullulasse hic error in posterioribus Græcis auctoribus, etsi cum aliqua moderatione. Nam D. Thomas in hac eadem quæstione XXXVI, art. III ad III, respondens argumento deducto ex auctoritate Damasceni lib. I de fide, cap. XI, ubi dicit, quod: » Spiritum sanctum ex Filio non dicimus, Spiritum vero Filii nominamus, » respondet plures in hoc fuisse secutos Theodoricum Nestorianum (Theodoretum legendum puto) inter quos fuit etiam Damascenus. Quare hic error ita propagatus est, quod tamen sese explicuerit, non omnino negando Spiritum sanctum dicere ordinem ad Filium, quod tamen in primo initio hujus erroris videtur negasse Theodoretus, non solum negando Spiritum sanctum procedere ex Filio, sed neque per Filium. Unde D. Thomas non absolute dixit Damascenum habuisse errorem Theodoretum, sed secutum esse ipsum, scilicet in aliquo, nec enim in omnibus esse secutum idem D. Thomas agnoscit quæst. X de potentia, artic. IV ad ultimum, ubi refert epistolam Theodoretum dicentis Spiritum sanctum, neque a Filio esse, neque per Filium; cum tamen Damascenus ponat esse per Filium, sed non a Filio. Et sic aliquantulum moderati sunt posteriores Græci priorem errorem, agnoscendo esse per Filium,

et esse Spiritum Filii, sed non a Filio. Alii vero patres Græci, qui circa tempora Damasceni, vel paulo ante floruerunt, ut Anastasius Sinaita, qui fuit ante sextam Synodum generalem, et Sophronius, qui ante eandem Synodum floruit, et Tharadius patriarcha qui fuit ante septimam Synodum, recte de hoc puncto videntur sensisse, nec contrarium dogma propugnasse.

III. Luculentius postea hanc Græcorum doctrinam, et explicationem expressit Theophylactus, Joanne quidem Damasceno, et aliis patribus relatis recentior, licet de tempore quo vixerit, et floruerit non omnino constet, aliis quidem ut Panuino in fastis sub Basilio seniore sub annum 883, aliis, ut Sixto Sennensi sub Michaele Porphyrogenito circa annum 842, aliis vero, ut Baronius sub Michaele Duca ad annum Christi 1071, ut in eodem anno, numero XV, et sequentibus pluribus probat, et quidem satis probabilibus conjecturis. Ut ut est, is auctor Græcorum errorem suo tempore vigentem circa hunc articulum de processione Spiritus sancti ita declaravit ac distinxit super caput III Joannis ad illa verba: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* « Latini, inquit, male hæc exponentes, et minus recte intelligentes dicunt quod Spiritus etiam ex Filio procedat. Nos autem hoc primum dicimus ad eos, quod aliud sit ex quoquam, et aliud esse cujusdam; ut Spiritus est quidem Spiritus Filii absque dubio, et ab omni Scriptura approbatum: cæterum esse ex Filio, nulla Scriptura testatur, ut ne duo principia Spiritus introducamus Patrem, et Filium. » Et infra: « Dicitur autem Spiritus esse Filii, secundum quod virtus et veritas, et sapientia. Spiritus autem sanctus, et veritatis et fortitudinis, et sapientiæ Spiritus